



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

P. 6. Dilatio Absolutionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40853**

## P.6. Dilatio Absolutionis.

**E**Xtra casum necessitatis, non licet Sacerdoti peccatorem absolvere, sed differenda est absolutio, nisi de illius interna conversione, sive dispositione sufficienti habeat sacerdos iudicium moraliter certum, absque omni prudenti formidine.

Adverte quo vinculo hæc doctrina constringat manus Sacerdotis, & deprehendes vix illi relinqui potestatem absolventi nisi in casu necessitatis: sic enim liceat argumentari. Non potest Sacerdos certior esse de conversione interna & sufficienti peccatoris, quam ipse qui confitetur: imo non nisi ex ipso penitente potest conversio ejus interna Sacerdoti constare. Atqui ipse peccator non potest plerumque ita esse moraliter certus de sua conversione interna, ut nullus prudenti formidini locus relinquatur: aliàs quoties actu percipit absolutionem poterit certò & absque formidine illi constare de sua justificatione, quod est contra communem sensum & sententiam. Ergo vix dabitur casus quo extra necessitatem sacerdos possit peccatori absolutionem impertiri, si vera sit ferrea lex, quam dogma hoc recens natum tam Sacerdoti, quam penitenti imponit. Contra verò doctrina communis tradit, de interna penitentis conversione certitudinem non requiri, sed sufficere prudens iudicium, sive rationi non levi innixum, etsi relinquatur etiam aliqua prudens formido de sufficienti illius dispositione.